

NB.

nus) quod civitates valde cupiebant, Saxo per legatos respondet; Quoniam de Coena Domini diversum sequantur dogma, non sibi licere SOCIETATEM cum ipsis ULLAM coire. Quanti sit ipsorum conjunctio, propter vires atque potentiam, non se quidem latere: Sed eò sibi minimè respiciendum esse, ne tristis inde sequatur exitus: quod ijs accidisse scriptura testetur, qui muniendi sui causa, cujusque modi praesidijs usi fuissent.

Sleid.lib.7. 60. Principes reliquos, qui Confessione subscripserunt, idem planè cum Electore Saxone sensisse, & à furore Sacramentario prorsus fuisse alienos, vel ex unicâ Relatione historica Sleidani tam est notum, quàm quod notissimum.

61. Ac cum primis quæ Anhaltinorum principum tum fuerit sententia & fides, abundè satis Reverendissimi Principis Georgij scripta, contra Sacramentarios edita, ostendunt.

Confessio Reip. Norimb. Anno 1526. 62. De Republica Norimbergensi, ejusque Confessione minus Sacramentaria, res satis est plana ac manifesta.

Bilibaldus Birckheimerus, Senator Norimbergensis. & Imper: Maximiliani 1. 63. Cui enim obsecro ignotus esse potest, Zelus verè pius BILIBALDI illius BIRCKHEIMERI, Senatoris Norici precipui, qui anno 1526. contra Sacramentarios, ac nominatim Oecolampadium, calamus stringens, librum illius de genuina verborum Domini (Hoc est